

similis, quem etiam metallici nominibus distinguunt. granula nominant Kupffersteinlein: id verò, quod pulueri simile est, Kupfferstaub/oder Kupfferbraun. Squamas autem, Kupferschlag. Tinctura vitri, ex æris & ferri squama mixta fieri solet. Sunt & fontes hoc metallo tincti, vnus in pago Goza, sito inter Numburgum & Cicium in Misnia: alter prope urbem Fridbergum, in Hefsia. Inter æra ipsa etiam distinguendum est apud scriptores, Temesæum nobile est, propter antiquitatē, idq; fossum fuit: Dodonæum propter pateras, tripodes, & vasa, quæ sunt in templū Apollinis ex eo in Epiro oblata: Corinthium, quod in eius urbis incendio è varijs metallis confluit: deniq; Corybantium & Saturnium: illo vñ in sacris sunt Phryges, Cybeles ministri: hoc Itali, in sacris Saturni. Inter eadem distinxerunt artifices propter loca, quod aliud alio fuit vel pulchrius vel tractabilius. Myron sta-